HERM. GRVBE

DE MEDICAM

CIMPLICIBV

COGNOSCEND







'Analysis mali citrei'
bound between pts. 1
& 2 of 'De arcanis'

HERMANNI GRUBE
LUBECENSIS
Philoſophiæ & Medicinæ Doctoris,
Phyſici Haderslebienſis
De
ARCANIS
MEDICORUM
NON ARCANIS
COMMENTATIO
Ex inventis recentiorum HARVEJANIS, BARTHOLINIANIS, SYLVIANIS, WILLISIANIS & cęteris in gratiam tyronum breviter concinnata, obſervationibus nonnullis illuſtrata, & tota ad praxin Medicam directa;

Cui præfixa
THOMÆ BARTHOLINI
De
TRANSPLANTATIONE MORBORUM EPISTOLA.

HAFNIÆ,
Ex Bibliopolio DANIELIS PAULLI, Regii Librarii, 1673.


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY



ILLUSTRISSIMO HEROI
DOMINO
DN. CONRADO
BARONI von Revenklou/
DOMINO auf Sandberg/ORDINIS DANNENBROCHICI
EQVITI EMINENTISSIMO, AUGUSTISSIMI DANIÆ AC NORW.
MONARCHÆ DOMINI NOSTRI
CLEMENTISSIMI CONSILIARIO STATUS AC PROVINCIALI EXCELLENTISSIMO, PRÆFECTO HADERSLEBIENSI
MÆCENATI AC DOMINO
MEO GRATIOSISSIMO

Cultum & Observantiam Humiliorem.

BENE! FELICITER!

INclyta tua virtus, Illustrisſime BARO Domine Gratioſisſime, & Honorum tuorum incrementum Inſigne aurem mihi vellicant, ut publicè nunc audeam ſerò licet tempore ac ultimus ordine, cultu tamen & obſeqviô facilè primus GRATULARI. Inſignes Dignitatum titulos, & Munera ſuſtines Illuſtriora, qvæ cum virtus Heroica tum merita tua Inſigniora non Daniæ tantum ac Holſatiæ finibus, ſed exteris qvoqve nota longius ac latius TIBI videntur dudum Magnô tuô meritô deſtinasſe. Voluminis, non Epiſtolæ eſt, aut partis alicujus orationis laudum tuarum hiſtoria; cum utrinqve inſigniter excellas hinc Fami-

liæ

liæ tuæ, illinc virtutum Splendore: Illius tanta Eminentia eſt, tanta dignitas, ut laudibus ejus decantandis vel integra impar ſit panegyris, eòq; jubeat eſſe me anguſtiorē, qvò & Virtute & exemplis Majorum Heroicis & ipſa eſt undiqvaq; Auguſtior : Harum verò admiratio tanta, ut & meis dicentis viribus multò ſint ſuperiores, & tantis laudum præconiis dignę, ut, ſi nihil de iis non ſplendidius dixero ; dicenda tamen videantur plura. Taceo nunc, qvæ in TE ac qvanta rerũ peritia ac felicitas gerendarum! Qvæ ac qvanta vel in infimis qvibusq; admittendis ſingulari authoritatis condimento temperata facilitas! Qvæ Munificentia! Qvæ Benignitas! hinc in

 pro-

promovendis clientum commodis, illinc in ſublevandâ tenuiorum inopiâ. Mitto etiam, qvæ TIBI & qvalis juſtitiæ cura ſit! qvis tenor! qvæ legum cuſtodia! cui Tros Tyriusq;, ut ille ait, nullo diſcrimine ſolet cenſeri. Qvæ item ac qvalis & Eruditius & ad Heroici vim ingenii accommodatius cum diſſerendi tum judicandi promptitudo! ſive dicenda in ſublimi ſynedrio ſit ſententia, ſive lites conſopiendæ adverſantium. Qvis concentus deniqve ac harmonia virtutum tuarum Illuſtrium! Sublimiora fateor, hæc ſunt, & dicendi genus expoſcunt ſublimius, à qvô eò abſum longius, qvò & tenuius ingenium eſt, & præter humile neſcit qvicqvam

qvam parturire. Virtus tua eſt, Illuſtriſs. BARO, qvæ aditum TIBI, qvæ fores ad Auguſtisſimi noſtri Monarchæ clementiam penitius aliqvantò aperuit. Virtus tua eſt, qvæ TE evexit ad Summa Dignitatum culmina, qvæ nunc tenes cum tanto omnium applauſu. Auguſta eſt, & verè Auguſta hæc virtus, eòq; neſcit diutius latere, qvò longius diffundit ſuum jubar. Biennium ferme eſt, cum à SACR. REG. MAJ. Præfecturę Hadersleb ienſis gerendæ ſumma TUÆ fidei ac clientelæ concrederetur. Qvæ hactenus ſtetit Florentisſima ſub Illuſtriſs. tuo Præſidio, eòq; Florentior, qvò & rarior virtus tua eſt, & cum in factis tum in conſiliis Illuſtrior. Magni qvippe

Herois & dies noctesqve nil nisi sublime pro salute publicâ meditantis personam tam splendidè hactenus sustinuisti, ut possim Haderslebiæ nostræ non immeritò gratulari, cui tantum illuxit Sidus, unde & auræ benignitatem, & cæli (ut ita dicam) serenioris tutò liceat his turbidis & nebulosis temporibus polliceri. Macte his tuis consiliis! Magne Heros. Macte his dotibus animi Augustioribus! Ex aliâ igitur ad aliam adscendisti dignitatem, imò ex Eqvestri tandem loco ad ipsum Baronatus apicem, Sacr. Reg. Majest. clementissimè favente. Ipsum enim agitur semestre, cum Baronum pariter ac Eqvitum Ordini Illustrissimo solenniter ad-

ſcribereris. Unde hæc nata mihi eſt ſive Acclamandi ſive Gratulandi ſeges. Utroq; TIBI nunc nomine, Illuſtriſs. BARO, obſervantiæ teſtandæ Humilioris, GRATULOR! & qvod Fauſtum, qvod ſalutare, qvod perpetuum ſit! ACCLAMO! Vireat magis magisqve Familia tua Illuſtriſſima & vigeat cum perenni felicitate, ſtetq; incõcuſſa perpetuò. Floreat nominis tui Fama, & Inſignium gloria meritorum Auguſtior, ſuâ jam luce radians ſplendidiore! TE florente floreant res, commoda, ſalus noſtra! TE vigente tuo veluti ſpiritu vigeant! TE Rectore, TE Præſide exulet infelix illa Ate hoc eſt Furia infernalis, qvæ in belli ſcintillis tota eſt excudendis ultra

 Indos

Indos ac Garamantas releganda! Te incolumi abesse procul jubeatur & facies rerum tristior, & hyems rigidior fortunæ! Grata, Amœna, Prospera, Serena sint omnia! Vivas Illustre Sidus Feliciter! Vivas Augustissimo Daniæ ac Norwegiæ Monarchæ, Domino nostro Clementissimo: Vivas Daniæ, Vivas Haderslebiæ nostræ; Vivas Tibi & Illustrissimæ Familiæ ad seram usqve senectutem Feliciter!

Faustæ hujus Acclamationis & cultus mei Humilioris tessera est, qvem Illustrissimo tuo nomini inscribo, libellus (de ARCANIS MEDICORUM Non Arcanis) Qvem, veneratione eâ qvâ par est rogo oroqve ut & vultu accipere

pere ſereno & non ſui qvidem pretio, qvod exile oppidò eſt; ſed & cultu offerentis, & bene de re Medicâ promerendi animo digneris æſtimare, ac permittere benignius, ut, qvi ſub Illuſtriſſimi tui Nominis auſpicio lucem aſpicit publicam hic ſive fœtus ſive abortus ab omnibus adverſariorum ſpiculis ac ronchis invidorum tutus & tanqvam in ſinu conqvieſcat cum ſuo authore, & Gratiæ tuæ aura ſingularis animatus veluti, & Nominis tui luce Illuſtrioris à contemptu omni ac ſqvalore vindicatus.

VALE Daniæ ac Holſatiæ tuæ Decus Incomparabile. VIVE mea ac literatorum Spes Maxima,

ma, Mæcenas ac Domine Gratioſiſſime. Bene! Feliciter! Dedi ipſis Calendis Julii Anni reparatæ ſalutis M. DC. LXXII.

Veſtr. Excell. Illuſtr.

Humil. Cliens

Herman Grube D.

DJR ist die Welt für diß Geschenck verbunden/ (wehrt/
Geehrter Freund: Diß daurt/ weil jene
Diß frist kein Rost/diß ist kein Spiel der Stunden;
Diß ist kein Schatz/ den Gluth und Fluth verzehrt;
Diß wird mit uns die Nachwelt rühmen müssen/
Daß du hiedurch dich selbst der Grufft entrissen.
Wir sahen dich in neuer Schöne kleiden
Den schwachen Leib/der schier war Lebend tod:
Die Gelbesucht ward gleich der weißen Kreiden:
Ein blaß Gesicht Auroren Purpur-roth.
Jtzt wilstu gar der Zeiten Sitten heilen/
Der Laster-Pest wie ein Geschwür vertheilen.
Du hast hiemit dem Artzt die Bahn gebrochen/
Und zeigest an wie tausend irrig gehn/
Die bloß allein nur auf Erfahren pochen/
Und Fantasey vor wahre Kunst ansehn;
Die (weil sie nur auf Wissenschaft sich gründen:)
Die Schwachen oft mit Pest und Krebs entzündē:
Wie kan uns auch ein solcher Hülffe schaffen/
Der leer an Lehr und reich an Rauch und Dunst;
Diß sind ja nur gelehrter Ertzte Affen/
Die kaum benetzt vom Schaum der edlen Kunst.
Wer diesen traut/der traut treulosen Bürgen/
Jhn wird der Artzt eh'r als der Tod abwürgen.
Diß ist ein Artzt/ der Tag und Nacht gelesen/
Was in dem Buch der Welt verborgen liegt:

Der urtheln kan von aller Dingen Wesen/
Wie Seel und Leib zusammen ist gefügt:
Der GOtt und sich und seiner Kunst getrauet/
Der auf Verstand und auf Erfahren bauet:
Dein Freund und Feind muß dieses an dir loben/
Und daß du seyst der Ertzte Glantz und Ziehr;
Wie daß du dich nunmehr so hoch erhoben/
Daß Lehrer selbst nun Schüler seyn für dir/
Daß man an dich des Himmels schönste Gaben
Vollkommen sieht/die andre eintzeln haben/
So folgt dir auch/gleich als ein schöner Schatten
Die Ehre nach: Dein Ruhm-Gerücht erklingt
Und will die Müh dir danckbarlich erstatten/
In dem es früh und spāth dein Lob verjüngt;
Es läuft und häuft dort über dich zusammen
Ein Leucht und Feur vom Glantz und Ehrenflammen.
Dein Name daurt; da andre schnell verschwinden/
Die mit dem Tag' entstehn und untergehn/
Dein ewiges Lob wird man im Marmor finden
Und ein Porphir den Schein von deiner Schön.
Dein Tod der wird die Todes-Pfeil entschlipffen
Die Ewigkeit sich selbst mit dir verknüpfen.

Seinem Hochzu-Ehrenden Vornehmen Gönner und werthgeschätzten Brüderlichen Freunde übersand dieses Geringschätziges

Hanß Georg Pellicerus, J. U. L.

Ad

Ad

Experientiss. Dn. Auctorem

Medic. Doct. Celeberrimum.

ILicet effertur fallax Medicina, Qviritas
Pæonii, huc celerate gradus ; accurre Galeni
Progenies germana : vide fœtore Cadaver
Invisum, exeqvias Blaterantum turba celebrat,
Vestibus incedens pullis ; dispendia plorant
Histrio cum Vetulâ, Rasor, Judæus, Agyrta,
Et Medicastrorum grex omnis proluit ora
Pallida lacrimulis. Mærens Proserpina prædas
Averti optatas qveritur sibi, Pluto Silentum
Rex minui Cives Stygios, Cymbamq́ Charontis,
Et Vespillones fieri otia tristia clamant.
Te, GRUBE, *incusant, Medicorum nobile Sidus,*
Exitium & commune vocant, qvòd subtrahis orco
Pallentes Animas, & non-Arcana revolvis.
Sed Te concelebrat meritò gens cuncta Medentũ,
Phœbeiq́ Patres inscribunt nomina Cedris
Victuris, & Fama vehit super ardua Cœli
Culmina, qvà Titan oritur, qvà tingitur undis.
Eminet Hos inter BARTHLINUS *Gemma Sophorum,*
Et secli prælustre jubar, qvô nostra superbit
Ætas, & nescit Medicis concedere priscis.
Ludor ? an hac Cæli resonans vox fertur ad auras,
Qvam Nemora, & valles, Qvercetaq́ pulsa recantant :

Impostura jacet tenebris, luctuq; sepulta,
Expirantq; doli, Fraus & Panacea laborant.
I nunc, & tecum mussa, mala Pharmaca misce,
Transplanta febres : hîc non-arcana patescunt.
Pastor oves pascat, Monachusq; exerceat Artem,
Qvam didicit ; libet lanas edentula Mater.
Sis, licet, Expertus, Paracelsi gnarus & Artis,
Sis Fortunatus, Secretorumq; Repertor,
Hîc dolus & Secreta patent, meliora leguntur
Hoc Secreta librô, cui cedat Pergamus olim,
Et qvæ Cos scripsit. Pubes sacrata Saluti
Nocturnâ hunc versare manu, versare diurnâ
Ne Te pœniteat. Crispa sic æthera votis :
Hoc, Superi, Servate Caput ! qvô Sospite sospes
Alma Salus ridet ; plorat sycophanta, tremitq;,
Et Fraus cum gemitu fugit indignata sub umbras.

Scribeb.

David van der Brügge/Schol. Lubecens. Sub-R.

TH. BAR-

TH. BARTHOLINI

DE

TRANSPLANTATIONE MORBORUM


DISSERTATIO EPISTOLICA.



HAFNIÆ,

In Officina DANIELIS PAULLI

Bibl. Reg. clↄ Iↄc LXXIII.



Clarisſimo Viro

HERMANNO GRUBE
Medico Eruditisſimo
S. D.
TH. BARTHOLINUS.

SIccine indefeſſo ſtudio Naturæ arcana velut ex puteo eruis? Fodinis inſpiciendis, qvas natura Tibi aperit, nunqvam defatigaris. Convenit ea cura nomini Tuo, convenit ingenio, qvod ad Medicam Artem tanto ſucceſſu & inſigni fertilitate confers. Cæterum dum arcana illa prodis, qvibus non pauci ſpecioſo titulo ſu-

 per-

perbiunt, cave ne in vulgi diras incurras, & Medicorum nonnullorum indignationem. Nosti juxta mecum qvam externis capiatur vulgus, qvæ arcana qvadam vi se commendant, ut non rarò Medicorum curandi rationes postponant. Dandum illis aliqvid præter voluntatem, ne nomen Medicorum aversentur. Cumqve magna sit imaginationis vis in iis qvi nesciunt qvid distent æra lupinis, sæpe arcanis istis fidentes, qvanqvam apud sapientes rerum arbitros qvi intima scrutantur, in nullo pretio sint, sanitatem sibi procurant, frustra à remediis pharmaceuticis, qvibus non fidunt, expectandam. Hoc fundamento amuleta prosunt, trans-

transplantatio ſuccedit, aliaqve arcana, qvæ arcana eſſe negas, miro effectu credulorum mentes effaſcinant. Novi certè non paucos, qvi variolas ſibi pretio emant. Alios qvi febrem alterius in ſe derivent. Alios qvi devorata Medici præſcribentis ſchedula, vel aſperſa arena, convaluerint. Abeſt à plerisqve ſuperſtitio & magia, à nullis fixa credulitas. Amuletis præterea & periaptis & pentaculis & his ſimilibus autoritas accedit à corporum effluviis. Unde pæoniæ radix collo appenſa, ſambuci ramulus, dens apri, oculus lupæ, ætites, & alia Epilepſiæ medentur. Arſenicum, Auripigmentum, Hydrargyrus peſtem trahit, ſcrofulas primula ve-

ris, ſabaria diſcutit dorſo vel ventri appenſa, & qvæ ſunt hujus cenſus plura, etiam Medicorum veterum ſcriptis, recentiorumqve experimentis nobilitata. Huc tanqvam ad ſacram anchoram Medicus ſubinde confugit, ubi illa parum proficiunt ex voto, qvæ manifeſta ratione agunt. Non patitur Natura anguſtis ſe limitibus circum ſcribi, nec noſtro ſe ſemper intellectui ſubjicit. Externorum vis per experientiam nobis patet, qvanqvam cauſas ignoremus. Exemplo ſunt Cantharides, qvæ etiam extremæ cuti cum emplaſtris impoſitæ, veſicam offendunt. Colocynthis, agaricus, ungves & multa alia umbilico ventriqve applicata, alvum

vum commovent. Niſi effluvia admittas, per poros corporis patentiaqve foramina ſe inſinuantia, difficile erit nobis ad rationes alias penetrare. Occulta multa ſunt nobis, qvæ naturæ manifeſta. Conſenſus rerum & mutua conſpiratio, utramqve in Naturæ ſcientia paginam implent. Qvam cauſam comminiſci potes, cur fratres locorum intervallo disſiti variolis ſimul & ſemel afficiantur, qvod in familia noſtra eveniſſe memini. In fœderibus pangendis veteres mutuum ſangvinem potarunt, ut conſtans eſſet amicitia in tanto ſangvinis commercio. Lampada ex ſangvine humano conficit *Burggravius*, qvæ accenſa ſemel ardet jugiter, qvo-

ad homo ille, è cujus ſangvine aptatur, vitalem ducit ſpiritum, atqve eodem, qvo eundem efflat ipſe, horæ momento ſimul extingvitur. Amiciſſimos novi mutuo ſangvine ſui memoriam invicem commendaſſe, etiam inter abſentes certis notis perennantem. In arborum transplantatione diligenter cavent hortulani, ut eodem ad meridiem vel orientem ſitu terræ committantur, qvo felicius germinent & perennent, qvaſi conſenſus inſit qvidam occultus arboribus cum certa cæli plaga, cui aſſueverunt. Cõmunia alia ſympathiæ exempla cottidie nobis obvia ſunt, qvi ad ædificia poſt incendium funeſtũ exſtruenda inviti trahimur. Aſſeres ex arboribus

boribus vento disjectis confecti cuicunq; operi destinentur, vento eodem flante crepitum vel sibilum edunt. Saxa polita qvæ pavimentis insternuntur, semper madent, etiam in sicco hypocausto, qvotiescunq; pluviæ instant, qvia vel pluvioso tempore fuerunt exscisa; vel aqvis immersa. Dubium non est, subesse his omnibus rationem, licet nobis ignotam. Consensum multa alia testantur, de qvibus pleni sunt Physicorum libri, & illo multi morbi curantur. Similia enim cum similibus facilè conspirant. Ruber pannus sangvinem ad exteriora provocat. Scorpio contritus vulnus à Scorpione illatum sanat, qvod remedium in Italia fre-

qvens. Bufones exſiccati manuqve retenti læſos à bufone curant. Et hic & ibi & illic ſimilia ſimilibus ſociantur bono ægrotantium. De Antipathia verbum non addam, qvæ tam nota eſt, qvam qvotidianus caſei & butyri victus, & domeſtica animalia apud vulgus de ea teſtantur. Feles qvidam homines inſito odio averſantur. Inter feles & mures tantus eſt diſſenſus, ex occulto principio ortus, ut ſi feles comburantur, cineribusqve illis conſpergatur horreum, à muribus ſit ſecurum. Niſi odor teter in cauſa ſit, qvi etiam in caprina pelle eſt, qvæ ideò noxia eſt capiti, non ſpeciali alia privata ratione, ut acutè ſuſpicatur *Cælius Aurelianus*

lianus lib. 1. Chron. c. 4. Certam omnium rationem reddi poſſe, certum eſt, qvanqvam adeò obtuſus nobis plerisqve ſit ſenſus, ut eam rarò aſſeqvamur. Ita cur oſſa humana uſta & potata membrorum ulcera conſolident, cauſam forſan ſiccitati imputaremus abſtergenti ulcus & conglutinanti; ſicut oſteocolla propter eandem rationem oſſa fracta copulat: ſed id non capimus, cur ſimilibus osſium particulis ea conſolidandi vis inſit. Verbi gratia, cur ſi ulcus tibiam vel brachium occupet, oſſa earundem partium tibiæ vel brachii debeant eligi, aut cur capitis affectibus oſſa cranii humani medeantur. Aqva nobis ubiqve hæret. Similitudo tamen

admit-

admittenda ſive morum & naturæ, ſive pororum. Hinc homines inter ſe diſcordant vel amicè conſpirant, & animi qvadam voluntatisqve propenſione hunc magis amant, qvam alterum. Ita *Catullus* Epigr. 86.

Odi & amo: qvare id faciam fortaſſe reqviris,
Neſcio: ſed fieri ſentio, & excrucior.

Imò, qvod miramur, inter homines & inanimata, ne de animatis dicam, tacita eſt conſpiratio. Nam, ſi *Rubeo* fides, cuidam fuit gemma Turcois, qvæ cum Dominus mortuus eſſet velut lugens obſcura apparebat rimamq; per medium ducebat, qvæ tamen rima coiit, cum alius eam gemmam emis-

emiſſet. Aviculas vidi & canes mortuo Domino mortuos. Ex his igitur principiis, conſenſu rerum & effluviis, multorum eventuum cauſæ repeti poſſunt, qvos ex numero arcanorum excludimus, tanqvam naturæ impoſſibiles. Verè *Marcellus Palingenius* lib. XI. Zodiac.

Plurima ſunt qvæ cum fieri non poſſe putemus
Sæpe tamen fieri poſſunt, & facta videmus.

Conſenſus ex pororum ſimilitudine auxilium capit, qvibus effluvia convenienti figurâ prædita ſe accommodant, & accedente imaginatione, qva calor, ſpiritusqve poros dilatantes excitantur. De Transplantatione propius videa-

deamus, an hinc lucem capiat, qvam in erudito TUO scripto, sicut ex indice intellexi, invidere conaris, prægnantibus sine dubio, ut soles, rationibus. Non loqvor de Transplantatione illa, de qva *Borellus* Cent. 1. obs. 10. nonnulla affert, plantarum nempe in animalia &c. sed morborum. De hac transplantatione, qvam in nobis fieri posse *Petrus Severinus* nostras, Vir de Re Medica meritissimus, statuit, exempla pluscula attuli *Cent. 3. Hist. 66. & Cent. 6. Hist. 53.* de qvorum in plerisqve fide nullus dubito. Alia morbos in inanimata, alia in animalia, alia in homines derivatos ostendunt. In ligna, lapides, floresqve difficilis qvidem videtur transitus, impos-

impossibilis tamen non est. Lignum coryli, certo siderum positu collectum, sangvinem sistit, etiamsi partem affectam non tangat. Sangvinem calidè fluentem, potest imbibere per poros suos, unde consensus ille. Ramus salicis dentibus Scorbuticorũ affrictus, fumoqve expositus, sanat dentes cum siccatur. Imbutus enim fuerat miasmate Scorbutico, cum dentium gingivis affricaretur. Gibbositatem hominis in arborem translatam olim mihi narratum recordor. Effluvia qvippe hominis gibbi, qvando ab humorum defluxu spinæ dorsi curvantur, in arbore vivente transumta, velut fermento ebullientia & in vapores resoluta, distendunt ar-

borem

borem per se flexilem ut incurvẽtur. In sylva qvadam Selandiæ nostræ, pleræqve arbores gibbosæ & variis gyris ramorum mirificè intortæ, an à simili terræ vicinæ succo flatulento torqveantur, ignorare cogor. Notum omnibus qvanta vi se exoneret aër conclusus in angusto loco sive lapidis sive metalli sive ligni, & calore qvocunqve rarefactus, amplius enim spacium reqvirens disrumpit vas, in qvo continetur, si flectere vel distendere neqveat. In florentibus herbis tanta difficultas non est. Cum in Calabria olim versarer, narratum mihi est ab incolis, non rarò morbos ibi transferri in folia arborum. Certè herbæ virentes arbo-

rum-

rumqve folia manibus contrecta-
ta, vel naribus orive applicata,
flaccefcunt & odore privantur,
alia citius, tardius alia, pro tem-
peramenti firmioris vel laxioris
diverfitate. Ita & cuti calidæ ap-
pofita ficcantur, indicio evidenti
effluvia hinc inde commeare,
qvibus plantæ vel corpus no-
ftrum alterant, vel ipfæ à corpo-
re noftro patiuntur mutationem.
Transplantatio duplex eft reci-
proca. Herba ex homine, ex
herbâ homo recipit. In hæmor-
rhoidum tumore & dolore, radi-
cum qvarundam, inprimis pri-
mulæ veris, fabariæ, chondrillæ,
experta eft virtus, transplanta-
tioni affinis. Nam fi vel ipfæ par-
tes affectæ ab his tangantur, vel

 collo

collo ſeu dorſo ægri appendantur radices, ſenſim & dolor hæmorrhoidum & tumor criſtarum evaneſcit. Experientia in dubium vocanda non eſt, qvippe certa. De tuberoſa radice chondrillæ mihi *Petrus Caſtellus* Meſſanenſium in Sicilia Medicus uſu & ætate provectus olim præſenti teſtatus eſt, hæmorrhoides ſi tangantur illâ ſiccari, ſi chondrilla ſiccetur, corrumpi verò ſi corrumpatur, qvare ſub camino illam eſſe exſiccandam monuit. Fabariæ radix totidem nodis dorſo ægri appenſa, qvot tumores hæmorrhoidum numerantur, ſanat tumores, qvod experimentum à curioſo Medico *Georg. VVolff. VVedelio* edoctus, verum in nonnul-

lis

lis Hafniæ deprehendi. Imbibi ex tumoribus aliqvid morbosi, inde conjecturam facio, qvod radices corrumpantur, ad alios usus ineptæ. Qvod verò his radicibus, non aliis qvibuscunqve ea prærogativa concessa sit, facit similitudo pororum cum effluviis. Aliæ qvippe radices morbida partium harum tumorumqve effluvia non recipiunt, qvia pori v. g. sunt tranguli, effluviorum figura rotunda vel qvadrata. Qvæ pororum diversitas qvoqve in causa est, cur effluvia maligna non semper ex rebus, in qvas transfertur morbus, ad corpus morbidum remeent. Transplantatio in solidiora corpora, lapides & metalla, ut rarior, ita explicatu

 diffi-

difficilior. Non possunt dilatari pori, ut recipiant morbos, nisi natura sua sint ita comparati, ut hujus vel illius morbidis vaporibus similitudine qvadam conveniant. Mercurium facilè concipimus admittere corpore suo fluido advenientia mala. In pestilentia enim pro amuleto appenditur collo. Cinguum mercuriale corpori cancroso vel lui Venereæ salutare est, sine dubio ægrorum pravis halitbus infectum. Lapides qvoqve morbis nostris afficiuntur. Corallia rubra in armillis gestata, pallent in morbo puerorum, qvasi acida lympha menstrui instar ex corporibus illis exhalante. De iisdem contusis cum foliis qvercus

par-

partiqve affectæ ad ſuppuratio-
nem usqve impoſitis refert *Sal-
muth* Cent. 3. Obſerv. 34. intenſis-
ſimum dolorem brachii curaſſe,
in radicem qvercus translatis.
Turcoidis lapis cadentis poſſeſ-
ſoris ruinam in ſe transfert, de
qvo experimenta profert *Boëtius*
l. 2. de Gem. c. 116. De ſaxo rudi
lepida eſt hiſtoria cujusdam fe-
bricitantis Hafnienſis. Mulier
qvædam cum diu febre tertiana
luctata eſſet, iſtius pertæſa, literas
ſcribit officioſas ad ſaxum medio
inter Hafniam & Coagium itine-
re ſitum, incluſoqve ſavoris vin-
culo coccineo rogat ut in ſe fe-
brem ſuſcipiat. Per famulum li-
teræ ad locum deſtinatum affe-
runtur. Vinculo munitur orna-

turqve lapis. Ægra convaleſcit, incertum imaginatione, an qvia febris jam tum in declinatione, deferbuit. Vinculo literisqve morbidi corporis miasmata, ſicut in peſtilentia fit, inhæſiſſe ſuſpicari licet. Neq; enim denegandi lapidibus pori. Pluvioſo cœlo humecti obſervantur, etiam in clauſo hypocauſto, vaporibus humidis ex aere imbibitis. Et ad calefaciendos pedes manusqve vulgus ſaxa lapidesqve ignitos adhibet. Ferrum in fornacibus accenſo igne excandeſcit, aqvas, pingvedines, bonosqve odores poris ſuis recipiens. Ferruginem patitur. Tincturam ex ſcoriis acetum extrahit, vinumqve affuſum vim elicit. Hinc exhibitus melan-

melancholicis hypochondriacisqve Mars, acidam lympham, morborum cauſam, attrahit expurgatqve velut incantamento qvodam. Clavus ferreus arboris penè emortuæ trunco infixus, ad vitam qvaſi revocat, attrahendo ſuccum acidum vitæ ejus deſtructorem. Vidi in annoſa pyro horti mei factum experimentum, gaviſusqve ſum adhuc ſupereſſe mihi pyrum à Parentis beati tempore fructibus gratis fertilem. Puriora metalla, aurum & argentum, ſemina morborum admittere vel peſtilentia confirmat, imò omnium proh dolor! malorum. Ex infectis locis aſportata numismata aurea vel argentea, aqva & fumo expiantur, ne alios inficiant.

Tollerent illa & in ſe derivarent peſtilentiam omnem, niſi numero atomi peſtiferæ excederent. Auro vis peculiaris ineſſe putatur illi, qvod hæreditarium in familia poſſidetur, qvippe aſſuevit noſtris noſtrorumqve familiaribus effluviis. Periaptum ex illo conficere ſolent, ſed certis cœli conſtellationibus, pro curando cancro. Cujus tamen eventus in carcinomate mammarum honeſtisſimæ apud nos feminæ non reſpondit promiſſis. Forſan qvod inveterato malo ſera medicina iſta prodeſſe non potuerit. Extricabimus nos felicius ex altero Transplantationis genere, qvod animalia concernit. Habemus enim hic præeuntem DEUM, natu-

ræ omnis autorem, qvi in bruta hominum delicta & morbos transtulit. Spiritum malum, morborum pessimum, ex homine in sues Servator transire jussit *Luc.* VIII, 33. Et agnus apud Mosen delicta populi suscepit, anteqvam in desertum mitteretur *Levit.* XVI, 21. velut typus immaculati agni, qvi sustulit peccata mundi. Mystica qvidem fuit hæc Transplantatio, & illa supra naturæ ordinem, transitum tamen ostendit fieri morbi ex subjecto, ut Philosophi loqvuntur, in subjectum, non ut accidentis tantum cujusdam, sed corpusculis suis seminibusqve morbosis comitati. Pythagoras animas in bestias & versa vice per metempsychosin mi-

grare exiſtimavit, cum alia ratione immortalitatem animarum concipere non poſſet. Certè mores promiſcuè commeant. Sunt qvi brutorum induant mores, bruta contra humano more manſveſcunt. Eadem morborum ratio. Hi bruta inficiunt, bruta homines, ſcabiemqve vel peſtem invicem communicant. In ſtabulis eqvis eqvi, boves bovibus, oves ovibus vel tuſſim, vel ſcabiem, vel alios morbos affricant, in qvibus ſe exercent Veterinarii. Sic mutant morbi ſedem ſuam & ad vicinos migrant. Fumant enim ſtabula, ſudore madent corpora, ut facilis ſit & per poros pellis, & per patentia oris, nariumqve foramina tranſitus humorum

morum malorum etiam ſine contactu immediato. In bruta verò illa morborum humanorum metaſtaſis fit, vel imbecillia, qvæ vicina mala facilius admittunt,

fœtas

Nam mala vicini pecoris contagia lædunt:

vel calore inſigni prædita, qvo vel pori externè patent, vel interiora viſcera, velut ſuccinum paleas, ſecum trahunt qvicqvid mali offertur. Inter calidiora animalia canis eſt, ad Transplantationem ſuſcipiendam freqventius adhiberi ſolitus, vel propinatis humano ſangvine ægro aliisve excrementis, vel exterius admoto corpore. Nec alia animalia ſubſidiarias operas denegant. Singula brevi-

breviter libabimus. Sangvis phtisici Venæsectione extractus cani à nonnullis, vel gallo gallinaceo propinatur, successu meliore qvam pietate. In colico dolore utilior canis abdomini imponitur, sive calore ejus flatus discutiendo, sive auram ex corpore morbido extrahendo. Id qvod evidenti exemplo apud Avunculum meum honorandum *Jacobum Finckium*, olim Regiæ Academiæ Professorem emeritum, nunc in cœlo beatum, didicimus. Impositus enim ventri doloribus colicis distento canis Melitensis, qvamprimum incaluisset, urgebat exitum, vomuit vehementer, & tormina colica Avunculi sedavit. Ancilla ejusdem in dolore den-

dentium eundem canem genis appoſuit, magno levamine, ſed canis dolorum impatientia hinc inde curſitans latratu morbum receptum prodidit. In colli tumoribus idem alios expertos ſcio. Hinc ſæpius autor fui vel febricitantibus vel alio morbo detentis, ut catellos ſecum haberent cubãtes. Memini non ſemel familiares canes primum libenter ægris amicis accubuiſſe, ſed poſtea ægrè adduci potuiſſe ad lectũ, ſine dubio, qvod moleſtiam qvandam ex ægrotantium vicino accubitu ſenſerint. Alia his ſimilia exempla non gravabor repetere, qvia hoc ago. *Joan. Erneſt. Burggravius* modum tradit icterum, vel hydropem, vel phtiſin in canem
vel

vel porcum transplantandi per ſangvinem ægri ovo incluſum & gallinæ ſuppoſito. Fuſius rem totam ipſe Burggravius deſcribit, qvam Lectoris in gratiam hic repetendam duxi, qvia paucorum manibus verſatur.

Cura Magnetica, qvâ difficiles ac periculoſi morbi plurimi, nullâ potione medicâ, aliisve ſumtis pharmacis ſanantur, hunc in modum adhibetur: Primùm qvidem menſe Majo vel Icteritiâ, vel Hydrope, aut ipsâ ferè Lepra, *cæterisq; id genus morbis laboranti,* Media *dextri brachii incidenda eſt. Invigilandum autem huic negotio unicè, ut ipſa* Media, *non ejus loco alia (qvod aliàs Chirurgorum vel incuriâ ſolet committi vel inſcitiâ) feria-*

feriatur. Venâ sic peritè incisâ, sangvinis qvantum duo exinanitorum ovorum compleat putamina, vitreæ phialæ commodùm rostratæ immittendum, è vena adhuc calentis, ut ovorum putaminibus in hunc usum præparatis modo insequenti citissimè poßit infundi. Gallinæ ova duo aut tria erunt sumenda recenter parta: in extremitatibus utrisqve subtiliter perforanda: Vitellum cum albugine ex iis efflandum: membrana deinde albâ vitulinâ aut ovina aliave tenaci ac solidâ alterũ foramen glutine fabrorũ capsulariorum probè obturandum: qvod ubi siccatum fuerit, luto Cretensi & ovi albugine constipandum, & qvoad ejus fieri poterit, limo viscoso compingendum

dum & conſolidandum, utq́; exſiccetur, agendum. Qvo ſic expedito, ſangvis repente, ut è vena adhuc calet, exinanito ovi putamini infundatur; & ſic modicùm reponatur, qvoad obriguerit paululum & coagulatus ſit. Hoc facto alterum illud foramen arte & curâ eadem obſtruendum, & ut exſiccetur conſimiliter, agendum. Hoc compendio aliqvot ovorum putamina in hunc uſum aptari poſſunt; qvæ ſangvine ægri & valetudinarii illius adimpleta Gallinæ ſubjicienda, & ad dierum qvatuordecim aut trium hebdomadarum ſpacium, ut iis incubet, veluti cæteris ad pullos generandos ſuppoſitis, curandum. Qvòd ſi gallinæ plura valetudinariorum plurium ſangvine ova ſic adim-

adimpleta, pro genuinis suis qveant subjici, ejusdem res erit efficaciæ. Decurso temporis illo spacio, & putrefactione obortâ resumenda erunt ova illa, & in diem totum seponenda, pòst aperienda: qvo facto, ægri illius sangvinem à continuâ illa digestione Monstro *similem videbis, fœtore longè teterrimo. Hunc ergo exemtum porco vel cani sub custodiâ biduum & triduum etiam esurienti, pani recenter pisto inditum, aut alii cibo mistum objice devorandum. Porco tamen satiùs erit objici: siqvidem dolore concitato, latratus ejulantes & qveruli à cane circumcircà viciniæ molestiores ac minùs ferendi excitarentur. Sic tanqvam in speculo apparebit in porcum a-*

liudve animal translatam esse, ægritudinem, sive ab Icterico, *sive* Hydropico *sive* Phthisico *& id genus aliis. Qvod in bestiâ liqvet evidenter, & in homine sine ullo doloris sensu valetudini pristinæ restituto, & adversâ illâ in bestiam immigrare jussâ; qvam à deglutitâ illâ Mumiâ aliqvot hebdomadas sub custodiâ asservatam, telo trajicere aut aliter conficere fas est, ne soluta vel in pueros vel in alios sæviat, eosq; lethaliter inficiat. Robertus de Fluctibus* Anglus podagram cujusdam in cane familiari, qvo cum dormiebat, dicitur transplantasse, qva deinde torqvebatur canis certis periodis, sicut antea Dominus. Eodem experimento *Petrus Borel-*

lus

lus Cent.3. Obſerv.28. docet morbum podagricum catellos ex podagrico contrahere, ut vix incedere poſſint, ægro levato. Modum ibidem tradit cognoſcendi malum internum: Capiendos ſcilicet catulos & cum per 15. dies cum ægro decubuerint, & ciborũ ejus reliqvias & ſputa deglutierint, morbum ſimilem contrahere, tumqve ſi aperiantur partem eandem, qvæ in ægro, affectam reperiri. Ad ſuem ejusq; lardum progrediamur. Retulit mihi mulier, propria experientia edocta, lardo perfricatas verrucas, poſtea in terram defoſſo, evanuiſſe. Videtur qvidem ſuperſtitioni affine, in terram defodere. Sed ad compeſcenda effluvia verruca-

rum, vel prorſus ſupprimenda, ab aëre aliis rebus inqvinato ſeparata, hæc poſſunt ſpectare. De lardo confirmat *Verulamius*, illuſtris Naturæ Amaſius, Cent. 10. Sylv. hiſt. 997. in ſeipſo : Puer enim admodum in digito verrucam habuit, circa annum ætatis ſuæ decimum ſextum cum Pariſiis degeret, ſenſim in utraqve manu ſubnaſcentibus pluribus, ad minimum centum menſis ſpacio. Angli Oratoris uxor, femina minime ſuperſtitioſa dixit qvodam die, velle ſe qvicqvid verrucarum manus fœdabat, tollere. Poſt accepit lardi particulam, pelle non exutam, cujus pingvedine illevit omnes verrucas, & inter eas qvæ pene ipſi eò usqve

qve fuerant coæva. Clavo deinde lardi particulam ad postem fenestræ cubiculi sui qvod meridiem spectabat, soli exposuit putrefaciendam. Successus fuit, qvod omnes verrucæ intra septem menses prorsus evanuerint, etiam illa qvæ reliqvas ætate anteibat. De corio porcino alibi dictum memini, cubiculi lecto circumtensum, lepræ remedium ferri, eodem haud dubie fundamento Transplantatorio. Internè exhibitis excrementis imbibuntur qvoqve ab his illisqve morbi. Non ita pridem *Petrus Bullichius*, olim Archiater, demum Consiliarius Regius & Urbis Hafniensis Præses, diabete molesta & peculiari vexatus, fa-

lem ex urina propria extractum cani cum lacte propinavit. Cani qvidem pili decidebant, ipse parum levaminis sensit, sed in urinæ destillatione mordicantem calorem apud se animadvertit. Nobilis femina Cimbrica ante plusculos annos occulto morbo confecta balneo lactis se immerserat. Postea lac istud sudore effluviisqve morbosis impregnatum porcis exhibuit, qvod potum omnes extinxit, ægra convalescente. Hydropicos vesica bubula ægrotantis lotio repleta in furno fumante aliqvandiu suspensa & deinde effuso lotio, ac vesica in cloacam conjecta, detumescere narrat *Jo. Lbjelius* de Podagr. s. 2. membr. 2. Art. 2.

Aves

Aves rarius ad hanc transplantationem admittuntur. Exempla tamen qvædam ſuppetunt. Devorarunt enim & illæ morbos, & accubitu aſſumpſerunt. Sangvinem ægri ovo incluſum ſuppoſito gallinæ ſi eidem famelicæ exhibeatur, uterum morbosqve qvoscunqve ex ſcorbuto, cachexia, Hydrope ortos perſanare qvidam aſſeverant. An hinc trahant originem crebri osſium gallinarum, qvæ noſtras in ædibus qvisqvilias colligunt, abſceſſus, deliberandum relinqvo. De excrementis par ratio. Sunt, teſte *Jo. Schrödero* l. 5. Pharm. Med. Chym. Claſſ. 1. §. 53. qvi ad qvartanam capillos patientis cum aliis in corpore diſperſis pilis permixto ovo

imponunt, duriter coqvunt, & avibus deglutienda objiciunt, qva ratione qvartanam curatum iri volunt. Ad eandem qvartanam alii urinam ægri cum farina in pultem ſubactam arboribus illinunt, ut avibus cedat in prædam, tantum enim qvartanæ decedere ajunt, qvantum ex pulte aves comederint. Rectè verò aves qvartanæ ſe accingunt, duro enim nodo & difficili humori, robuſtus avium ventriculus convenit, qvi nec lapillos averſatur. Obſervavit deniqve D. Froeſchelius apud *Ach. Gaſſerum* Obſerv. 97. edit. à *VVelſchio*, Auguſtano Medico Doctisſimo: qvod capo decrepito podagrico penes ægrotum relicto idem curetur à ſimili.

mili. Exiſtimat qvidem laudatus Welſchius, ingens Germaniæ ornamentum, in Notis eruditis, qvas Gaſſero ſubjunxit, hoc experimentum ſuperſtitioni propius, aut ſaltem credulitatis vanitatem arguere; nam qvæ de effluviis corporum docentur, ut ſint verisſima, nihil tamen ejusmodi transſumptionibus, ſive transplantationibus morborum patrocinari, cauſa qvippe ceu radice aut minera integrâ reſtitante. Non eo inficias ſuperſtitione non pauca experimenta ali; ſed illa qvorum ratio dari naturalis nulla poteſt, ſolisqve verbis vel ritibus ſuperſtitioſis peraguntur. Qvo in cenſu apud veteres pluſcula invenimus, qvæ vel fictas

ſapiunt rationes, vel magicas, vel ridiculas. Tales ſunt transplantationes morborum à *Conſtantino Cæſare* laudatæ l. 13. Geoponic. c. 9. & l. 15. c. 1. ex Apulei & Democriti traditione. *Apulejus* enim ibidem ait, ſi qvem ictu Scorpio impetierit, in caudam converſus aſino inſideat, pro eo aſinum ipſum dolere & pedere. *Democritus* etiam aſſerit, ſi ictus à Scorpione ſtatim nunciat aſino, Scorpio percuſſit me, eum haut amplius laboraturum, dolore nempe ipſo in aſinum transiliente. Ridicula hæc de Aſino intelligente, ejusqve caudæ virtute, meritò irridemus. Niſi Aſinus ex illius Aſini familia ſit, qvem attentum auſcultatorem Ammoniacus Grammati-

maticus in Schola sua habuit, *Svida* teste. At decrepitus podagricus ægrotum accubitu levare potest, sicut flamma flammam elicit, combustusqve igne admoto curatur. Effluvia qvidem mineram mali prorsus non evacuant, sed minuunt, unde ægris levamen procedit: Vel si in motu sit materia morbifica, totam exhauriunt, morbumqve solvunt. Certum est felicius successuram Transplantationem, si recens sit malum, necdum altis radicibus firmatum. De avibus, formicis, piscibusqve morbos nostros assumentibus hic parcior sum, qvia Lectorem ad Centurias meas Historiarum amando, ut jam operæ parcam, ad Hominem festinans,

in qvo veſtigia Transplantationis leguntur clarisſima. Vel enim aliorum morbos in ſe contrahit, vel proprios in excrementa ſua rejicit. Prioris generis curationem peſtilentiæ contagium ſubminiſtrat. Inficit homo hominem, & miasmata peſtilentialia à robuſtioribus debiles excipiunt. Videmus uno cubiculo cõcluſos variam ſortem ſubire, hunc evadere, occumbere alterum, qvia utriusqve miasmata ille abſorbet, qvi minus malignitati reſiſtere valet. In Dyſenteria, lue Venerea, Variolis, ſcabie aliisqve extendi poſſet hic diſcurſus, niſi brevitatem Epiſtola imperaret. Transfuſoria Medicina nova huc ferè collineat, ut unius vel

ſani-

ſanitatem vel morbum in venam alterius cum ſangvine transplantet. Amicitiæ & obſeqvii incomparabilis foret argumentum, morboſum amici intimioris notæ ſangvinem in ſe per ſyringam derivare, morbumqve hoc pacto ab amico corpore divertere. Niſi religio obſtaret, plus proficeret hæc transmigratio, qvam nuda per ſectionem venæ evacuatio ſangvinis. In ſano qvippe corpore receptus ſangvis æger, concoqvi poteſt, emendari, ad meliorem ſtatum reduci, & per ſympathiam ſangvinis ægro homini, ſed amico, fructum qvendam ſanitatis ſuæ communicare: vel ſi emendare non valet, ad ſe occulta conſpiratione allicere reliqvam

qvam ægri ſangvinis pravitatem. Dices: conſpiratio illa occulta & ſympathia, hujus Transplantationis fundamentum, ignorantiæ prætextus eſt, dubiamqve hanc medicinam vel ſuperſtitioni vicinam arguit. Sed pace tua, tam manifeſta in rerum natura ſe produnt hujus indicia, ut pro Transplantatione rem conficiant. Qvanqvam manifeſta ratio reddi non poteſt, negari tamen non debent manifeſta. Sicut fieri omninò negare veteres non potuerunt, qvod magnes ferrum ad ſe alliciat, & trahat, qvanqvam rationem, cur id fiat, afferre neqviverint, nec fortaſſis adhuc noſtri, ſatis ſufficientem. Qvæſo niſi grave ſit, conſenſus illius rationem aperi,

aperi, qvi inter fructus illorumq; arbores intercedit. Poma tamdiu ſapida ſunt per hyemem, donec vere inſtante revireſcere occipiunt arbores ſucco novo. Revireſcere tum & illa nituntur, & germina tentare. Hordeo florente, aceſcunt cereviſiæ noſtræ ex malta coctæ, neqve claræ eſſe poſſunt. Id qvod Sambuco flores protrudente etiam evenit. Vite qvoqve florente, in vino fit mutatio, longisſimè remoto. Qvisqvis horum rationem mihi dederit, reportabit à me conſenſus inter corpora humana illorumqve ſangvinem, de qvo pasſim exempla in varioliſ, fœderibus, amicitia mutua extant, cauſam ſufficientem. Altioris eſt in-

dagi-

daginis, qvo modo ſine ſangvinis communione, homo ille pauper apud Maſſilienſes peſtilentiam publicam in ſe ſuſcipere potuerit, & à civibus ſuis avertere. Deqvo ſcribit *Servius* Grammaticus in Virgilium, qvotiens peſtilentia laborabant Maſſilienſes, ali ſolere integro anno publicis & purioribus cibis, poſtea ornatum verbenis & veſtibus ſacris circumductum per totam civitatem cum exſecrationibus, ut in ipſum reciderent mala civitatis, projectum fuiſſe. Eadem forſan mente *Curtius* apud Romanos & animi & generis nobilisſimus adoleſcens, militaribus inſignibus ornatus, eqvo conſcenſo præcipitem ſe dedit in profundum puteum, ut

ſecum

ſecũ peſtem urbis deduceret. Sed ſuſpecta eſt nonnihil Maſſilienſiũ ars. Per annũ enim integrum dum alebatur pauper, ſua ſponte deſævire poterat lues peſtifera. Exſecrationes nocere nulli poſſunt, niſi eas facinorib9 ſuis qvisq; mereatur. Forſan à Judæis hunc ritũ mutuati ſunt ſimiæ ſacrorum Pagani. Illi qvippe in agno ſimilia Dei juſſu exercuerunt. Hi neſcii erant præfiguratum eo fuiſſe Meſſiam, gentium Salvatorem Jeſum, qvi infirmitates noſtras in ſe ſuſcepit, & noſtra peccata in ſe derivata ſuo ſupplicio expiavit. Curtii verò factum generoſum gloriæ & æternitatis conſeqvendæ rationem ſecum trahebat. De qvo eleganter *Lactantius* l. 3. de Falſ.

Sap. cap.12. Nam illi, qvi pro ſalute civium, voluntariæ ſe neci obtulerunt, ſicut Thebis Menœceus, Athenis Codrus, Romæ Curtius, & Mures duo Decii, nunqvam mortem vitæ commodis prætuliſſent, niſi ſe immortalitatem opinione civium conſeqvi putaviſſent: qvi tametſi neſcierunt immortalitatis viam, res tamen eos non fefellit. Nobis vera immortalitas per Jeſum noſtrum pro nobis mortuum, parta eſt. Duo tamen in facto Maſſilienſium obſervari debent. Unum, qvod purioribus cibis per annum aleretur pauper, ſine dubio ex robuſtisſimis ad hoc opus delectus. Alterum, qvod per civitatem totam duceretur. Illis ſe munivit

pau-

pauper, ut totius civitatis infectæ contagium fortius imbiberet. An omne hauserit, dicere non possum, qvi non interfui. In declinatione malignæ istius luis pauca semina supererant, eaqve non ita valida, qvæ secũ ille abstulit habitu, vestibus, familiaritate cum infectis publicè obambulando, qvi se fixa imaginatione diris his devoverat. Vulgo nostro persvasum est strumas tumoresqve alios affrictos ad manum cadaveris humani sensim aboleri, prout cadaver putret. Difficile tantam mortuæ manus vim concipimus, parumqve abest qvin hic me Thomam profitear, cum ne ipsa qvidem omnis bonæ malæqve materiæ fœcunda artifex Natura ra-

tionem rerũ reddiderit, ut loqvar cum *Valerio* l.1.c.8. Sanctorũ corporibus, etiam defunctis, virtutes insolitas tribuendas, Eliæ aliorũque exemplo persvasi sumus. Ubi verò tanta inter nostros pietas, qvæ post fata se exserat? Imò in fide Christi defunctorum corpora sanctificata credimus. Caro bovis cruda in oculorum affectibus nihil non præstat. Cur de humana dubitamus? Mumiæ Ægyptiorum in medicina advocantur. Cur inferiora essent his corpora Christianorum? Odorem suavem cadaver Alexandri Magni spiravit. Donati Veneti, Principis Christiani corpus pari odoris suavitate emicuit. Qvis scit, an non manus mortua spiran-

rantium tumorum calido vapore afficiatur, ſi qvidem pasſiones noſtras etiam lapides ſentiant? Hæc, & his ſimilia alia, qvæ verâ experientiâ probantur, non admiratione, ſed memoria proſeqvi debemus, ut idem *Valerius* loqvitur, cum ſciamus rectè, vel ut antiqva apud *Lipſium* lectio habet, *ratione*, ab ea plurimum ſcientiæ vindicari, penes qvam (Naturam) infinitus cuncta gignendi labor conſiſtit. In excrementa propria, in primis lotium, ſale utroqve abundans, plurimi morbi referuntur translati. Nonnulla exempla nuper annotavimus, plura jam nunc ſuperadditur. Vel enim excrementis humanis mixta morborum ma-

teries animalibus exhibita, vel per ſe evacuata, hominem liberat. Inter excrementa, ungues, fæces alvi, lotium, ſudor, pili, huic negocio inſerviunt. Ungues reſciſos ex manibus pedibusqve ægrorum piſci alligatos curare morbos earundem partium, qvidam apud nos prodiderunt, ſi piſcis in mare dimittatur. Ungues interiorum viſcerum conſtitutionem prodere, Phyſiologi teſtantur, qvi ex unguium mutatione maculisqve multa de internis divinant. Huc ſe exonerant vaſa, præſertim nervi. Hi recipiunt ſuperfluos corporis humores, ſicut melancholici fidem faciunt, qvorum ungues eo usqve excreſcere vidi, ut ungu-

las

las ſuperent. Aliorum morborum materia pari facilitate huc migrans, in alios, qvi aſſumere coguntur, transferri poteſt: Et revera unguium virtutem ſe apud alios exſerere, apparet ſi vel umbilico imponantur, vel per incuriam devorentur, nam & vomitum provocant & tormina concitant, & alvum irritant. Transplantationem podagræ incipientis per ungues pilosqve ægrotantis ſic deſcribit *Jo. Loſeius* ſect. 2. de Podagra: Ægro pilos in utroqve crure novacula demunt, & inſimul ungues manuum pedumqve ſtato tempore, vere ſcilicet, reſecant, poſt terebrâ, in populo alba vel qvercu vireſcente, foramine facto, ad medulloſam usqve

arboris partem, unguium ſegmina & pilorum filamenta in locum excavatum, transportant, foramine ligneolo, ex arboris cujusdam ramulo fabricato, accuratè & profundè clauſo. Ligneoli propendens particula proximè arborem ſecuri amputatur, & admoto fimo vaccino ſaucia ligni pars propediem optimè deligatur. Qvod ſi trimeſtri ſpatio malum podagricum haud recurrat, arborem magneticâ virtute efficacisſimam arguit. Multæ Scenæ, unus Actus. Summa eſt, ungues pilosqve pedis humoribus podagricis imprægnatos in arborem ſucco recenti vireſcentem, adeoqve virtute balſamica facilè recipientem, transmittere malum

non

non adeò fixum qvo urgetur arthriticus. Fœcibus ægri loco incantato applicitis & mox in vesica suilla fumo expositis per triduum restituit ægrum *Jo. Agricola* tr. 5. Chir. Parv. Nec id valdè mirum, cum per alvum non rarò, evacuata morbifica materia, crises morborum fiant. Consensum fœcum cum corpore ille confirmavit, qvi excrementis alvi adhuc calentibus infudit prunas ferventes, & ita absentis etiam anum combussit acerbissimè. Per lotium qvoq; expurgantur variæ affectiones, qvæ exinde magnum sui indicium præbent. His morbi causis imbuta urina, qvando crisin hac parte molitur natura, aliò sæpissime tranferens mor-

 bum,

bum, dominum ſuum malo liberat. Placet per notas tritasq; experientias procedere. In propria uxore expertum ſecretum in febre Generoſus qvidam in patria noſtra Vir, tale communicavit. Ovum in urina ægræ inſtante paroxyſmo excreta ebulliat, donec omnis humiditas ſit abſumpta. Tum excorticatum ovum ſterqvilinio immittatur, & qvam citò à formicis conſumitur, tam promptè febris ceſſabit. *Hartmannus* in Pract. Chymiatr. affirmat ovum cum urina ægri coctum formicisqve expoſitum curare Atrophiam & febrem. Pro qvartana *Franciſc. Joel.* Tom. 5. Prax. ſect. 2. urinam patientis in paroxyſmo redditam & cum farina in maſſam

ſam redactam coctamqve in clibano, famelico cani, maſculo ſi maſculus ægrotet, femellæ ſi femina, exhibet comedendam, id enim ter aut qvater repetitum febre liberare ægrum, ſed cani inducere febrem. Ex eadem urina duplex arcanum Sympatheticum deſcribit in Scirrho lienis *Jo. Bapt. Sitonus* Jatroſoph. Miſcell. tr. 29. qvod apud ipſum, vel ex Hiſtoriis meis Rarioribus, ubi ejus attuli deſcriptionem, repetatur. De ſudore pauca ſuperſunt. Illum ſerpentes Bracciani promptisſimè exſugunt, magno ægrorum commodo. Ipſam ſpeluncam in Dominio Bracciano cum Româ redirem intravi, & exſuvias ſerpentum, qvi ibi ſedem fixam habent, in rei memoriam mecum ex portavi. Hydropici, lue Venerea infecti, & aliorum morborum ex ſero natorum injuriis fatigati in hac ſpelunca, ſatis capaci, ſe abdunt & ad reqviem qvaſi ſomno obrepente componunt. Ubi omnia ſilent, prorumpunt ex latibulis

ſer-

ſerpentes, mediumqve hominem amplexantes vel ſugunt ubertim ex corpore profluentem humorem, vel ſuo compreſſu ad ſudorem copioſum, anxium ægrum, dormire ſe ſimulantem, compellunt. Ad minimum verò ſudantis motum aufugientes latebras ſuas repetunt, hominemqve ex ſudatorio exeuntem integræ ſanitati reſtituunt. Transplantatio facilis qvidem, ſed metu difficilis. Non dubito, ſi cui hæc medicina arridet, qvin ſimilem ſpeluncam ſit inventurus in Dania, ut Braccianum pergere longo ſumptuoſoqve itinere opus non habeat. In territorio Selandiæ, Otzherret dicto, prope pagum Hoiby, ſpelunca viſitur ampla ſaxisqve conſpicuis munita, qvam vulgus Sagarum ſedem appellat, qvod hic ſagas habitare credat. Anguſto orificio deſcenditur in primam ſpeluncam, cui contigua eſt altera, ad qvam ingreſſus anguſtior patet. In prima liberior eſt advenarum mora.

In

In alteram verò ſi per anguſtisſimum orificium caput immittas, neqve enim univerſum corpus admittit, ſerpentum congeriem cum horrore videbis, qvi ſine ullius offenſa ſerpunt per ſpecum à ſe occupatam. Non vana eſt conjectura, piratarum olim hoc fuiſſe domicilium, & bonorum raptorum conditorium. Do fidem, nulli defuturum ſudorem ſi cui ingrediendi hoc antrum voluptas fuerit. Prompti erunt ad ſugendum angues, ſi promptos invenerint qvi ſe huic curæ ſubjiciant. Non abſimilem ulceris curam alibi legiſſe me recordor. Ubi locorum, aſſerere non poſſum. Ex *Cæſario* & *Aldrovando* eandem recitat *Balthaſar Boniſacius* Hiſtor. Ludicr. lib. XII. cap. 8. qvam idcircò hic repetam, ut conſtet conſenſus ex ſuctu humorum ortus. Vulneratus homo qvidam in latere ſiniſtro, eo jam redactus erat, ut plaga in ulcus putridum & inſanabile degenerante, mors immineret. Nudato itaqve latere, inclinavit

ſe pe-

ſe penes truncum ſucciſæ arboris, ut erumpenti ſaniei commodior pateret exitus. Ibi interim cum in ſomnum reſolutus eſſet, ex caudice prodiit anguis, qvi ulcus avidè ſuxit. Experrectus ille, veneni metu, ſerpentem excusſit. Interea tamen ſe haud mediocriter levatum ſentiebat. Itaqve poſtridie eundem ad locum reverſus, ſugendi ulceris facultatem ſerpenti fecit, à qvo cum aſſiduè lamberetur, priſtinam ſalutem facilè recuperavit. Exin à ſerpente adeo cepit diligi, ut nullo loco cubare poſſet, qvin ad eum ſerpens accederet. Qvapropter homo ab ejusmodi conſortio tandem fugiens, ſolum vertit. Denuo tamen reverſum in patriam, ſerpens ita ſectabatur, ut cum non poſſet ad viri cubile ingredi, juxta januam moraretur. Qvare ſuadentibus amicis, ut illum occideret, Medicum, inqvit, meum non occidam, neqve tam ingratus ero, ut cui vitam debeo, mortem inferam. De hirudinibus ſeu ſanguiſugis, multa

ſupera

ſupereſſent, aliisqve ad hoc argumentum ſpectantibus, ſed video peccaſſe me in Epiſtolæ leges. Omnia verò huc tendunt, ut Transplantationi morborum nonnulla autoritas concilietur, qvæ tot habet fautores, tot experientiis nititur, qvæ ſingulæ fallere non poſſunt, tot rationibus probatur, qvæ veri ſpeciem tamdiu obtinebunt donec meliores alii ſuggeſſerint, tot deniqve emolumentis ſe mortalium generi commendat. Non eo tamen animo hæc à me dicta putes, ut necesſitatem vel aliis præſcribam credendi qvæ capere non poſſunt: nam prudenter Academicos à rebus incertis aſſenſionem cohibuiſſe ſcribit *Tullius* lib. 1. de Nat. Deor. Qvid eſt enim temeritate fortius? aut qvid tam temerarium, tamq; indignum ſapientis gravitate, atqve conſtantia, qvam aut falſum ſentire aut qvod non ſatis exploratè perceptum ſit & cognitum ſine ulla dubitatione defendere? Vel Tibi revocandi illa qvæ docto calamo contra Ar-

cana hæc non Arcana commentatus es; ſed ut publico conſtet qvid pro Transplantatione dici poſſit, & qvanta polleas ingenii doctrinæq; ubertate, qvi interiora rerum ſcrutatus, nil temerè exiſtimas credendum, ſed Methodo Medendi optima ratione firmatæ inſiſtendum præclarè decernis. Cætera qvæ Arcana eſſe negas in Erudita Diſſertatione, non vacat in præſenti expendere: Vacat tamen ſummis laudibus efferre, tanqvam ab Aſclepiade profecta. Prome igitur Arcana iſta, ne aliis ſint poſthæc arcana, & de Re Medica optimè mereberis, cujus dignitatem maſculo calamo tueris. Utinam felix ſit ſuſceptæ operæ eventus. Tibi flores, orbi fructus leguntur. Terrent qvidem tot inimica Medicis omina, timidumqve vatem mala præſagire cogunt:

— — *Sed tu jam, mitis Apollo,*
Prodigia indomitis merge ſub æqvoribus.

Vale, & me ama. Ex Tuſculano meo Hageſted XIV. Sept. cIɔ Iɔc LXXII.

(O)

P. S.

NOn dubito qvin videris *Andreæ Tentzelii* Medicinam Staticam, seu Commentarium in Librum tertium *Theophrasti Paracelsi* de Philosophia, in qva de Transplantatione Morborum ex principiis Paracelsi fusè agit, beneficio Mumiæ essentialis ex Astris promotæ. Qvanqvam verò alio fundamento ille nitatur, placet tamen, qvia paucorum manibus versatur hic Autor, & in Theatro Sympathetico Noribergensium non legitur aliis immixtus qvi hoc argumentum tractarunt, ex eo morborum aliqvot curationes transcribere, omissis illis qvæ in

genere de hoc negotio tradidit. Judicium cuiqve liberum esto.

De Utraqve Icteritia curanda.

PRimo omnium in aprico habeatur è tribus membris principalibus Mumia, ut sic totus Spiritus Mumialis aliqvatenus in tuam potestatem veniat. Icteritia enim per totum corpus sparsa est; Implantetur semen Lini, Cannabis, chelidoniæ; vel aliud qvoddam Icteritiæ ductorium. Icterício juxtà dentur Onysci, vel eorum liqvor, in qvem vase aliqvo in aqvam calidam immersi redigendi sunt; vel deniq; Anserum excrementa in vino dissoluta; vel grana Juniperi. Eorum omnium siqvidem beneficio coloratus ille humor præter naturam

ram per urinam demittitur. Cum urina iſta mumiata ſingulo mane Terra magnetica, ſeminaq; intus contenta irrorentur tùm ſeminibus creſcere incipientibus, Spiritus icteritię in plantam ubertim transportabitur, qvam cum tota Terra Mumiata poſtea, vel profluentem abjicias, vel in caminum fumo caſtigandum ſuſpendas, pro modo ſcil. & conſtitutione corporis, cujus ſanationem hac tua actione exoptas. Qvod ſi enim corpus plethoricum præſtò ſit, in hydropem nonnihil pronum, ſemen fumo conſumendum ſuſpendatur. Si verò ſqvalidum & calidũ, ex Aqva remedium petatur. Hæc arte nulla non icteritiæ ſpecies, qvæ licet omnem Medicorum ar-

tem alias reſpuit, funditùs aver-
runcabitur. Id qvod inde dunta-
xat fidem meretur: Qvod vulgò
ſtercus eqvinum ad tria qvatuor-
veſcybala ſuper qvod æger ſemel
antea minxerit, in veſica vel lin-
teolo compactum in camino are-
faciant, nec non in ignem poſtea
conjiciant. Ejus enim laboris
non raró, ipſius experientiæ te-
ſtimonio optatisſimum fructum
reportant.

De Hydrope Magnetice curanda.

Primô itidem Mumia è tribus
illis univerſalibus emunctoriis
præſtô ſit, ſubjectum ſcilicet, in
qvod Abſinthii, pimpinellæ vel
Hirundinariæ transplantatio fiat
arti conveniens. Detur ægrotan-
ti Sal Abſinthii, vel diacubebe, ad
par-

particulam morbi per urinam deturbandum. Eâ ipsà fructus imbuatur, qvi deniq; si in justam perfectionem accrevit, comburatur, vel in aere, fumôve tabescat.

Contra Pleuritidem.

Mumia hîc facultatis vitalis & naturalis ab axillis & Hypochondriis extrahenda. In hanc eandem Bismalva, Carduus benedictus, plantago, Melissa, pulmonaria, aut qvæcunqve demum certo experimento huic morbo dicata inventa sunt, plantanda; urinâ interim eorundem salibus provocatâ, prædictæqve Mumiæ cum suis contentis, ad auspicatiorem vegetationem, ritè communicatâ. Postqvam ita herbarum in debitam magnitu-

dinem accretio, dein evulſio, inq; vel fumo vel aëre exiccatio, vel pro conditione morbi in profluentem abjectio facta fuerit, tùm etiam morbi ipſiusmet ſanatio in promtu haud dubiò erit. Et ad eundem modum non minus Apoſtemata pulmonum, aliorumq; viſcerum, hepatis ſcilicet Lienis & Renum &c. felicisſimam ſanationem recipiunt.

De Febribus myſterio hoc feliciter fugandis.

QVAMVIS Febrium curatio illa per Diaceltateſſon Opopyron, & & ſi materia propter neglectam Medici operam dilatata fuerit, Venæſectionem, felicisſima & perfectisſima; Nihilominus & hæc alicubi ſuum obtinet locum.

Extra-

Extrahenda ergò hîc Mumia venit, tàm vitalis, qvàm naturalis, loco & modo qvo ſupradictum. Imò ſvaſerim etiam ex arteriis. Fiat poſtea ejusdem legitima cum herbis ſangvinem corrigentibus nec non putrefactioni nonnihil reſiſtentibus maritatio. Herbæ huic uſui inſervientes ſunt: Urtica, Fumaria, Chelidonia, Centaurium, Meliſſa, Chamædrys. Urina qvoqve pellatur beneficio ſalis urticæ, vel Salviæ, vel baccarum juniperi, qvâ ipsâ poſtmodum Terra magnetica debitè nutriatur, obtentoq; inde eorum incremento, fructus vel in Aqvam conjecti, vel in aëre tabefacti medicationem ſimul febris absqve mora præſtabunt.

De Oppilationibus Hepatis Lienis &c.

Fiat extractio inprimis Mumiæ parti affectæ naturaliter respondens; Hanc seqvatur transplantatio in herbas uti antea consuevimus, appropriatas, v. g. hepate affecto, in Rutam, Epaticam Capillum veneris; affecto cerebro, in Majoranam, Helleborum nigrum, Rutam, Serpillum; pulmonibus in Urticam, Veronicam, Pulmonariam; Splene in Scolopendrium, Galeopsin, Chamædryn; Renibus, in Ononidem, Virgam auream, Petroselinum, Milium Solis &c. Expellatur simul urina earundem herbarum salibus artificiosè præparatis; qva humectetur Terra Magnetica ad

ca ad vegetationem uberius promovendam.

Crescentia postea inde in profluentem conjiciantur.

De Doloribus Partium & Oppilatione.

Mumia harum partium ex articulis petenda, ejusqve inde in appropriata debita transplantatio instituenda. In his veluti cardo curationis hujus vertitur. Ceterum qvod Rosmarinus, Lavendula, Salvia, Satureja, Iva arthetica &c. inter herbas primatum hoc in loco obtineat, nemini dubium erit.

De Podagra.

Mumia hîc articulorum malè affectorum Helleboro nigro ritè communicanda; insuper mediis

ureticis urina provocanda ad Terram Mumiatam citius fæcundandum. Fructus vero in aëre marcescendus; vel etiam in Qvercum Arborem abscondendus &c. In Catarrho Mumia Cerebri maritatione Garyophyllatæ gaudet; qvæ ideoqve justam magnitudinem adepta in aëre marcescat.

De Vulneribus & ulceribus.

Ex locis affectis, non minus ac in superioribus factitatũ, primò habeatur Mumia, in qvam inseratur per modũ Transplantationis vel persicaria maculata, vel solidago vel alia Vulneraria parti affectæ amica. Moveatur urina per Tartarum. Imbuatur illâ ipsâ Terra Mumiata ad capessendum nutrimentum. Fructus inde accrescens in aere deniqve exarescat, & morbus sine dubio levabitur.

Ubi tamen notandum, hanc eandem è Magnetismo mumiali medicationem non

non rarò locum promereri, qvamvis Mumiæ Extractio non ubiq; intercedat. In qvibusdam enim casibus usu venit, qvod organum lædens Mumiæ sæpius tactæ, absq; singulari Medici directione jam anteà particeps sit, præsertim ubi illud in parte affecta diutius hæserit infixum. Idqvod in vulneribus locum obtinet, cultro, clavo, vitro aliqvamdiu inibi relictis, qvod tamen in extemporanea transitione minus succedit, cum minima momenta vix ullum effectum pariant; Vel deniq; ubi qviddam successiva transmissione, vel qvacunq; ejus loci retentione cruore aliqvandò fuerit madefactum. Et sic transsumta Mumiæ aliqva parte vicem artificialis extractionis compendiosè sustinet.

Ideoq; qvum qvis eo modo læditur, vulneratur, aut qvomodocunq; afficitur, sumatur telum, culter, gladius, inq; vel Terram Matrem scil. & qvasi germen genericum potentativum omniũ Balsamorum (qvamvis & hac ratione ope-

operatio iſta ſusq; deq; minus habenda: ut ne Spiritus mumiales in organo hærentes evaneſcant, interim vulnere Radice Colchici contuſa, & cum tribus qvatuorve vini & aceti guttis in Emplaſtrum miſta, aut ſimilibus, ubi & fæces alvi myſtica qvadam vi locum omninò merentur, deligato) vel qvicqvid demum Balſamicum occurrit, in Lardum, Balſama, ungventa &c. infigantur. Inprimis tamen reſpicienda hîc ea, qvæ ex Mumia & Uſnea, qvæ reverà Sylloge qvædam eſt Spiritum Iliadi, nec non etiam Spiritus Mundi, qvibus mediantibus activa paſſivis feliciſſimè communicantur, conſtant. Qvin imò nullatenus abſurdum, qvod à non nemine obſervatum, in ulceribus Cacoëthicis inveteratis fluxionibus continuo madidis: etiam ſaniem putamini Nucis Balſamo ſeu Ungvento hopliatrico prius delibuto incluſam, inq; ſiccum aërem ſub udo cælo ſuſpenſam ſanationi eorundem efficaciter profuiſſe.

De

De Herniosis.

Procuretur primò Mumia è loco affecto. In eam jam multoties repetito artificio plantetur Symphytum majus; Inde ad marcescendum suspendatur in aërem. Vel, ubi beneficio Magnetis Mumialis Mumia ritè fuerit extracta eligatur arbor resinosa, Cerasus Abies &c. ad ejus radicem Mumia collocetur, scissâ arbore per medium, scissura tàm capaci, ut æger illac sui transmissionem habere commodè possit. Transmittatur ita ad ternam usq; vicem in nomine SS. Trinitatis, in qvo meritò omnia inchoanda & perficienda; Idq; inprimis hora & die Veneris. Æger qvoqve urinam ex abundanti mittat super arboris radices. Qvoq; facto deniq; Arbor Cerato debitè agglutinetnr. Ita profectò Hernia contumacissima, reposita prius (qvamvis alicubi nihil reposita fuerit sanata) brevi perfectissimè curabitur.

De fluxionibus, dolores noxios cientibus, ut in dentium & oculorum doloribus.

Extrahatur ejus loci Mumia, & transplan-

plantetur in perſicariam maculatã &c.
Qvamvis compendiario proceſſu idem obtineatur, ſi Rad, ſenecionis cum tota herba recens eruatur, eaqve ipſa dentes dolentes ad qvalemcunq; cruentationẽ usq; affricentur. Si enim peracto eo radix ſtatim in locum priſtinum & nativum defodiatur, inqve vigore maneat, omnis dentium dolor & affectus mirè ſedabitur.

De menſtrui profluvio & Retentione.

Circa Hypochondria & Umbilicum Mumia primo loco elicienda, in qvam, more ſolito, perſicaria maculoſa inſeratur, Hinc movenda urina exhibito pulegio, ad terram Mumiatam humectanda, Deniqve planta ad perfectionem adſpirans, vel in aëre reſiccanda, vel in igne comburenda. In retentione menſium Mumiæ extractio ex iiſdem locis, juxta tamen è mamillis etiam inſtituenda, inſeminandum pulegium, qvoipſo etiam urina provocanda. Deniqve planta acreſcens in Aqvam projicienda.

De

De Pthtisi & hectica.

Extrahatur Mumia è tribus membris principalibus, Item è Spina dorsi,& musculis primariis corporis; Implantetur Satyrion & crescere simul permittantur. Tùm porrò in Qvercum vel Cerasum transponantur, vel etiam ipsa Mumia in alterutram horum transplantetur & brevi meliùs habebit æger. Qvid hoc in morbo Tinctura Mumiæ cujusdam sanæ, ægro exhibita valeat, de eo alio in loco fusius.

Est & alia hujus magnetismi ratio, ipsâ praxi notior & facilior: Coqvetur ovum recens in urina consumti, in ollula nova, ut urina ovum planè contegat, ebulliendo, donec ovum indurescat. Exemtum ovum postea hinc inde perforatum in eadem urina recoqve, semper vertendo illud, donec urina plane consumta fuerit. Postea ovum sic paratum in acervum formicatum sepeliatur, & ovo hoc consumto, mirabili sympathia tabes desinit.

De Ariduris particularibus.

Processus ad superioris Magnetismi exemplum nihil peculiare habet à reliqvis, præterqvam qvod Mumia ex inferioribus & superioribus articulis partis affectæ petenda. Ideoq;

ut ne eàdem chordâ ſemper oberremus, ſed & utile dulci miſceamus ad aliud tàm univerſalis qvàm particularis ariduræ præſtantisſimum remedium nos convertimus, & qvidem, ex hac eadem arte, Magicum ſympatheticum. Illud Amuletum eſt ex particula loculi ſeu feretri paratum, qvo in feretro puerpera partus difficultate extincta ſuperqve Spinam dorſi collocata & tumulata fuerit.

Vis enim vegetativa auctrix & nutritiva puerperæ, qvæ in ſpina dorſi potisſimum ſita, inqve feretrum depoſita, jam à corpore vivo, priori illi ſubjecto ſymbolico & affini, ex alieno promtè attrahitur, & aſſumitur.

Ex hoc eodem fundamento Mumiam illam fæcundam, & inſigniter nutritivam puerpera licet adhuc in vivis, ut & aliæ perſonæ plethoricæ & εὔσαρκοι ſuppeditare poſſunt, ita ut è Spina dorſi ſuperimpoſito prædicto Magnete Extractio; inde verò in herbas cōvenientes implantatio inſtituatur; qvæ ipſę herbæ poſtmodū ægrotanti intrò exhibeantur. Adeò certè nullus ullibi affectus tàm vehemens aut pertinax, qvin remedium ex hac noſtra praxi ab eo qvod vel maximè diſſentaneum videtur incredibili cum ſucceſſu ipſi adaptari poſſit.

